

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile frei lassen!

Der aufgebrachte Turnus ist mit dem Angebot der Trojaner einverstanden, dass im Zweikampf zwischen ihm und Aeneas entschieden werde, wem der König Latinus seine Tochter Lavinia zur Frau gibt.

Olli sedato respondit corde Latinus:

„O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci
virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est
consulere atque omnis metuentem expendere casus.

5 Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
multa manu, nec non aurumque animusque Latino est.

Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus arvis,
nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu
sublatis aperire dolis, simul hoc animo hauri:

10 Me natam nulli veterum sociare procorum¹
fas erat; idque omnes divique hominesque canebant.

Victus amore tui, cognato sanguine victus
coniugis et maestae lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.

15 Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
bella, vides, quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
spes Italas; recalent² nostro Thybrina fluenta
sanguine adhuc campique ingentes ossibus albent.

20 Quo referor totiens? Quae mentem insania mutat?
Si Turno extincto socios sum ascire³ paratus,
cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia, ad mortem si te (fors dicta refutet!)

25 prodiderim, natam et conubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis

longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe
dividit." Haudquaquam dictis violentia Turni
flectitur; exsuperat magis aegrescitque medendo.

30 Ut primum fari potuit, sic institit ore:

„Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
deponas letumque sinas pro laude pacisci⁴.

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
spargimus; et nostro sequitur de vulnere sanguis.

35 Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
feminea tegat et vanis sese occulat umbris.“

1 procus, i: Freier, Bewerber **2** recalēre: andauernd warm sein **3** ascire: (jd.) aufnehmen **4** pacisci: (*hier*) eintauschen